



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

Ad Flavium Chisium Cardinalem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

Frontis ut aspectu primo recreata beatæ,  
 Regalique erecta manu, & decorata benigno  
 Munere, vita redit! veterumque oblita malorum,  
 Læta tuos inter dum se circumspicit, usque  
 Fortunam secura novam, nova gaudia versat!  
 Atque utinam illapsu divini luminis, auri  
 Vena fluat, nostoque erumpant pectore gemmæ:  
 Pulcrior haud inter lauros ederasque virentes  
 Cinxerit ambrosios tibi crines ulla corona.  
 Nam neque præpetibus superantes aëra pennis  
 Me vincant aquilæ, nec dulci carmine olores,  
 Nomen ALEXANDRI, laudesque, atque inclyta facta  
 Tollere Pierio certantem ad sidera cantu.  
 Te verò interea tacitus venerabor, & altè  
 Divini ingenii quæ tu vestigia signas,  
 Assiduè relegens, memori sub mente recondam:  
 Discam aptis si fortè olim tibi solvere grates  
 Vocibus, & tua conari, PATER, aurea dicta,  
 Aurea, perpetuâ semper dignissima vitâ:  
 Deque tuis tibi dona feram te digna, supremi  
 Ut facimus sacras humiles ad Numinis aras.

A D

FLAVIUM CHISIUM  
 CARDINALEM.

TU quoque supremo Patruï de fidere fidus  
 (Cynthia fraternis clara velut radiis)  
 Me tenui grates dicentem carmine, lætis  
 Aspectas, Princeps inclyte, luminibus:

Cu-

Cujus in exortu toto lux aurea cælo  
 Emicat, & campos lapsa per aërios  
 Diditur, & pulsâ caligine protinus imas  
 Undique jam terras conferit, & maria.  
 Sed tua purpureo vestitur lumine Roma  
 Largiùs, eximio & munere perfruitur:  
 Teque suum decus, & lenimen dulce laborum  
 Suspicit, & duro in tempore præsidium;  
 Cùm scelerata lues miseram, & mendacia messis,  
 Ah miseram! crebris mortibus horrificant:  
 Nec cessare finit trepidam discordia Regum  
 Vicina, armorum terribili sonitu.  
 Ut patrio exiliens armata è vertice Pallas  
 Infensos cælo terrigenas domuit,  
 Pectore de sacro magni haud secus ipse Parentis  
 Divino existis vividus ingenio.  
 Continuoque feras acies, atque horrida fundis  
 Faucibus eructata agmina Tænariis:  
 Perque Urbem, & Latium Diras sine more furentes  
 Ad nigra præcipites Tartara victor agis.  
 Quaque triumphantem volucris fert gloria, vinctum  
 Auro, & multiplici tempora fronde simul,  
 Ignis ut in cælo cùm se novus exerit, in te  
 Mentis quisque, avidos conjicit atque oculos.  
 Surgere Ledaum vestris de montibus astrum  
 Jam videt in mediis fluctibus Italia;  
 Transque Alpes procul aërias, transque æquora, læta  
 Jactatæ, heu! gentes omine suspiciunt.  
 Jam fœdas sperant hiemes, cælique tumultus  
 Desævissè, animas & posuisse truces.  
 Tempora jam complessè canunt infesta Sorores,  
 Staminaque auratis ducere velleribus:

Egregium everſo tandem ſuccurrere ſæclo  
Demiffum niveis alitibus juvenem.  
Hunc , patrios fulgere lares dum ſtemmate longo  
Præclaris atavùm cernit imaginibus ,  
Discere virtutem in teneris , verumque laborem  
Cœpiſſe , & magnos reddere Chiſiadas :  
Et cùm vix molli primùm pubeſceret ævo ,  
Intrepido fortes corde gerentem animos ,  
Unigenam caræ amplexus genitricis , & uda  
Fugiſſe immotum lumina lacrymulis ,  
Miſſo ut Hyperboreas magnis de rebus in oras  
Adderet ingenti ſe comitem Patruo :  
Perque nives celerem , perque horrida ſaxa ſecutus  
Curreret , ad ſuperos quâ via pandit iter.  
Et nunc , quod virtus olim ſua feſſaque votis  
Poſcebant rebus tempora flebilibus ,  
Ille ſedet regnans folio ſublimis in aureo ,  
Juraque ſervatis mitia dat populis :  
Tuque hoc jam pridem ſapere , & regnare magiſtro  
Doctus , in imperii parte locatus ades :  
Quicum partiri grave pondus , cui velit altum  
Pectus ALEXANDER credere , & ingenium.  
Ille adè te , ſacra feras qui juffa per orbem ,  
Pollentem eloquio mittet Atlantiaden ,  
Quo revocante , diu pax ſuſpirata revifat  
Europam , indigno reddita ab exilio :  
Cum placidi jungent , poſito certamine , Reges  
In melius verſis , ſcœdera , conſiliis.  
At tibi jam video magni famulantia mundi  
Sidera felici lumine , quâ properas :  
Et tumidos molli clivo ſubſidere montes ,  
Fluminaque obſequio currere prona tuo.

Jana

Jam video ventos impellere vela ferentes,  
Et fervire sacris puppibus Hippotaden:  
Neptunumque Patrem, & Nereidas exultantes  
Accipere, & toto provehere usque mari;  
Litoreque exceptum primo deducere gentes,  
Lætitiæ resonis vocibus, innumeras.  
Parte alia increpitat reditum deserta morantem,  
Teque diu externis invidet Aufonia:  
Et reducem hinc summis suspirat ab Alpibus, atque hinc  
Expectat Tuscis obviam litoribus.  
En venit, & terris emensis sospes, & undis,  
In Latium cursu præpete fertur ovans:  
Jamque viam ad sacras relegens secat impiger arces,  
Mœnia jam victor FLAVIUS ecce subit.  
Urbs effusa repente ruit, populusque Patresque  
Optato properant pascere amore oculos.  
Arduus ille sedet, nitidosque, aurum inter & ostrum,  
Palladiis crines frondibus implicitus  
Alta triumphali invehitur Capitolia pompâ;  
Mox humilis sanctis oscula dat pedibus.  
Interea fremituque hilari, plausuque resultant,  
Ignibus & festis, atque fora, atque viæ.  
Nec nivei, flavo quos flumine pascit olores  
Agmine nunc Tybris profluus aurifero,  
Nomen ALEXANDRI, & FLAVI, & facta inclyta cessant  
In cælum æternis tollere carminibus:  
Sæcla nec æternas volventia dicere laudes  
Cessabunt, vestris aurea muneribus.

A D